



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et
Principis Monasteriensis Decas**

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

57. Loricâ propiore Urbs cingitur. Alter agger infrà Urbem Alphæ objectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

lielmo Neoburgico Duce Lotharius *Töllerus* peditum Chiliarchus, & *Matthias Nagelius de Gaul* equitatus Instructor, cum insigni equitum, peditumque manu subsidio destinati. Ac tempestivè aderant *Moguntini ac Trevirensis* Electorum copix auxiliare. Miles ita quotidie numerosior quaquaversum per itinera circumfusus, & viarum anfractus, & vicinas arces *Lutkenbecam, Nevinckhovam, Wilckinghegam, Dycksburgum* ac plures domos, ceu propugnacula, munitas non minus, quam Urbem arctius observabat.

Alterà dein loricà, quam sexcentæ
agrestium operæ brevi perficiunt, Civita-
tem Princeps arctate, ut sicut prior obfi-
dentibus erat sepimento, ne palatum ex-
currerent, aut ab exteris forsan aggressori-
bus impeterentur; ita novo cinctos ambi-
tu, liberiore posthac evagatione obsessos
prohiberet. In pratis etiam suburbanis
Fortalitium *Marianum* inter & *Nevinck-
hovam* (Nobilium *Kukelsheimiorum* ar-
cem) novo aggere secatur, firmaturque
Alpha; ut laxatus supra Urbem amnis hoc
loco retineretur, atque ita stagnantium in-
tra mœnia aquarum inundatione, faciliùs
domicilia mergerentur. Propiùs portam
D. *Ægidij* suggestum erigunt, muniuntq;
grandioribus aliquot machinis; non tam
ut Civitati noceant, quam continuato per

57.
Loricà
propio-
re Urbs
cingitur.

Alter
agger
infra
urbem
Alpha
objectus.

1660.

498 CHRISTOPH. BERNARD.

hiemem gelu, earum vibratione terreant oppidanos, ne concisâ stricti fluminis glacie, viam disturbent obsidentibus, aggressiorem tentaturis.

58.
Eruptiones & Velitationes.

Hunc ut everterent Monasterienses, ipsâ *Divo Victori* sacra die sub crepusculum matutinum improvisi magno numero erumpunt. Sed proditi mox ab excubitoribus, læsâque inter pugnandum *Ductoris tibiâ* (is paucis ante diebus à Principe desciverat) omnes cum eo terga vertunt, seseque intra hortorum latebras, seseque abdunt. *Cæsareani*, quorum tunc excubitiæ erant, auspiciis *Baronis Eltzij* fugientium turbam ultra molarios colles insectantur. Et equite per vias & campestria hostem inquirente, adeò ingens decertatio fuit, ut dato licet receptui signo, vix à pugná revocari potuerit incallescens miles. In objectas è mœnibus turmas continuè tormentis fulminatum est. Ea clade discerpi equus unus, & bini equites; tresque gregarij, & ex his duo, primâ aggressione læthaliter sauciati æquante penes obsessos caesorum, læsorúmque numerum fortunâ.

Die verò secundâ Novembris infelicius pugnârunt Urbani. Dum enim in novum aggerem, stationemque *Nevinckhavianam* impetum meditantur, fortè fortunâ supervenit *Wilichius* Castrorum Praefectus, & *Nagelius* Chiliarcha, operis progressum